

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii rescribere rata est : *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et tertiam.* Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 3 Julii 1869.

C. EPIS. PORTUEN ET S. RUFINAE CARD. PATRIZI S. R. C. PRAEF,
D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

IV.

QUAESTIO.

Beatissime Pater.

Archiepiscopo Westmonasteriensi et Episcopis Angliae enixe rogantibus ut Sanctitas Vestra dignaretur declarare :

An debeat, juxta Synodi Provincialis Angliae decretum a S. Sede approbatum, confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an ea debeat esse integra ?

S. Congregatio S. R. U. Inquisitionis, decreto suo, Feria V, loco IV, die 17 Decembris 1868 dato, et a Sanctitate Vestra eadem die ac feria approbato et confirmato, respondit : *Affirmative ; et dandum esse decretum latum sub feria quinta, die decima septima junii anni millesimi septingentesimi-decimi quinti, quoad dubium :*

“ An quidam Carolus Wipperman, S. Fidei Catholicae reconciliatus, sit “ rebaptizandus ; et, quatenus affirmative, an absolute vel sub conditione ; et, “ quatenus affirmative, an teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae ; et, “ quatenus affirmative, an confessio praeponenda sit, vel postponenda baptismo “ conferendo sub conditione.”

“ Sanctissimus,” auditis votis Emorum, “ dixit : Carolum Ferdinandum ” “ (Wipperman) “ esse rebaptizandum sub conditione, et, collato baptismo, ejus “ praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab eis sub conditione absolvatnr.”

Nunc autem humiliter quaero an decretum supra allegatum obliget non tantum in Anglia, pro qua latum est, sed etiam in hac provincia ecclesiastica et in aliis regionibus ?

Quebeci die 29 maii 1869.

† C. F. ARCHIEPISCOPUS QUEBECENSIS.